Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

§7

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

tum et imperfectum. Qui pusillanimis est, et infirmus, ait autor operis imperfecti hom. 14 inveniet ibi ~~mediocres~~ justitiae cibos, qui etsi pinguem animum non faciunt, tamen mori non permittunt. Verè mens boni hominis, ait Blos. in Specul. Spirit. c. 10. ex spirituali doctrina multa praeclaraq; commoda recipit, nata et conservatur munda, et ignorantia deponit, et tranquilla redditur, et illuminatur, et nutritur, et excitatur et roboratur, et eximiu decorem accipit. haec Blos. Idcirco mi frater, sunt verba S. Ephrem de patient. vide, ne negligas animam tuam, sed Lectioni sedulò incumbe, ut mens tua illuminetur, fiasq; perfectus et integer in nullo deficiens.

§. 7.mus
Opinionis minùs probabilis electio.

Septimum remedium est, ut inter opiniones utrinq; à Doctoribus defensas ~~ex industria~~ scrupulosus quandoq; minùs probabilem eligat, ut sic per contrarium medium pertinacia rigida suae opinionis convincat. quidquid enim in quoddam extre=

mum vitiosè distortum est, ut ad rectitudinem reducatur in alterum reflectendum est extremum. Itaq; scrupuloso sententia benignior interdum præferenda est asperiori, ut sic inanes ~~[illegible]~~ formidines, quæ in austeriora quæq; magnò feruntur impetu depellantur; Sicut enim, ait supracitatus Contenson, Libertinis, corde duris, et in mollitiem ac indulgentiam propensis, cæteris paribus, consilia severiora danda sunt, ita teneris et infirmis scrupulosorum conscientiis mitiora indulgenda sunt. † ~~v. Till. n. 102.~~

† Hoc est privilegiū conscientiæ scrupulosæ, minimè concedendum alteri.

Præterea advertere debet scrupulosus, ut ait Arsdekin p. 2. tr. 1. c. 1. quod dum angit scrupulus, nec suppetit aliunde consilium, possit secundum communem Theologorum ~~[illegible]~~ ad quam vult partem libere se resolvere, nisi certò illi constet, esse peccatum. Cuius ratio est; quia cum scrupulosus ordinariè deprehendat in similibus casibus sine fundamento se fluctuasse, meritò et id modò præsumere potest. Deinde, quod dubium est scrupuloso circa honestatem actionis, hoc censeri debet pro illo moraliter certum. Imo scrupulosus propriè non dubitat sed inaniter dumtaxat fluctuat, ac formidat. Vnde præsens fluc-

tuatio est scrupulosis praesentissimum inanis scrupuli signum.

§. 8.vus
Bonitatis divinae meditatio

Octavum remedium est ut scrupulosus, praesertim si scrupuli ex quadam melancholia oriantur, de bonitate, de misericordia, de amabilitate Dei, de aeterna Beatitudine et huiusmodi, quae animum in spiritualem Laetitiam provocant, spem ac solatium augent, mentis tranquillitatem promovent, frequenter discurrat, ac meditetur; Illa autem, quae terrorem incutiunt, metumque ingerunt, ut sunt frequens meditatio extremi judicii, inferni, Item Lectio Librorum à rigidis authonibus conscriptorum penitus intermittat; sicut enim priora valent ad depellendas anxietates, eoquod cor dilatent, sic ista ad nihil scrupulosis inserviunt, nisi ut eum magis ac magis intimident, coarctent, ac coangustent undique.

§. 9.nus
Doctrix morum Discretio

Nonum remedium est discre-